



Theobertus filius Theodorici, adhuc uiuente patre Toringicis trophæis clarus extitit. Itaq; post mortem patris procerum consensu Austrasiæ rex electus est. Habebat is Vuisegardam, Vuarichonis Longobardorum adhuc in Germania existentium regis filiam, uxorem, ex qua Theobaldū successorem progeniuit. Sub eo Sigisbertus Priami cuiusdam nobilissimi Franci filius in Vangionibus Austriæ ducatum regebat, & maioris domus curam administrabat, prognatis filijs Nicanore & Carolomanno primi Pipini parente. Suetuos autē & Transiuranos Bezelinus & Lotharius præfecti, nomine regis Theoberti gubernabant.

Illi cum Francis & Alemannis in Italiam Gothis, contra Romanos pugnantibus, auxilio uenerunt. Postea quoq; Theobertus in Italiam abiit Longobardosq; deuictos & prostratos subiugauit, & tributarios fecit. Inde cum multis spolijs uictor in Austrasiam rediit. Cum hoc modo per quatuordecim annos magna gloria rebus præfuisset, atq; Visigothis deuictis, Galliæ partem quam aliquandiu inhabitabant, recepisset, & eos in Hispaniam abegisset, moritur, & Theobaldo filio regnum per manus tradit. Laz. in Hist.